

prefatam summam pecunie dicto Georio super predictum terminum plene et totaliter non persolverimus vel solveremus, extunc predicti obsides mox lapso dicto die dominico pro arbitrio seu voluntate sepedicti Georii in Spira vel Wormacia se recipient et recipere tenebuntur propriis in personis sub fideidacione, quam singuli singulariter presterunt, ad comessaciones solitas et consuetas per obsides faciendas, abinde nullomodo exituri, quousque dicto Georio de sorte principali et dampnis, si forsitan ipsi Georio apud Iudeos vel alio quocumque modo accrescerent, integraliter et plenarie satisfiat. Licitum eciam erit predictis obsidibus de die ire vel quocumque voluerint equitare, dummodo ad hospicia ipsis deputata ante noctis tenebras revertantur, fraude et dolo penitus circumscriptis. In cuius rei evidenciam presentes sibi dedimus maiestatis nostre sigilli munimine consignatas.

Dat. in castris Walihsheim¹ prope Spiram, anno Domini MCCCXV, V. Non. Marcii, regni vero nostri anno primo.

Mit verletztem Siegel am Pergamentstreifen.

VIII. König Ludwig erlässt Hagenau auf zwei Jahre die Reichssteuern. 1315 März 4.²

Or. Reichsarchiv, Habelsches Archiv Fasc. 9.

Ludewicus Dei gracia Romanorum rex semper augustus universis presentes litteras inspecturis graciam suam et omne bonum.

Promptitudinis indefesse gratos obsequio et probatos fidei puritate convenit fructuosus nostre munificentie favoribus preveniri. Hinc est quod prudentes viros cives nostros et imperii in Hagenowe, fideles nostros dilectos, propter incorruptam fidei sue constanciam, qua erga nos et sacrum imperium actenus claruerunt et ad presens clarent et, ut speramus, inantea conplacibunt, in sublevationem debitorum suorum ex parte imperii contractorum et reconpensam dampnorum ipsis illatorum per biennium continuum a data presentium ab omni stúra, exactione seu quolibet servicio dimittimus et ex nunc dicimus et facimus liberos et solutos. Volumus etiam, ne hec eis facta gracia in posterum in dispendium convertatur, ne post lapsum dicti biennii per nos seu officiatos nostros, qui pro tempore

1) Walsheim n. Landau. 2) Vergl. die andere Urk. für Hagenau vom gleichen Tage bei Winkelmann, Acta imperii II, 289, n. 458.